

I N D E X
S C H O L A R U M

PUBLICAE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

A DIE XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXVII. USQUE AD D. XV. M. MARTII
A. MDCCCLXXVIII.

H A B E N D A R U M.

Hermanni Sauppri commentatio de proxenis Atheniensium addita est.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

GUIL. FR. KAESTNER.

Bibliothèque Maison de l'Orient



126994

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

D. ALBERTUS RITSCHL

C U M S E N A T U.

Cum anno superiore indici lectionum mensibus hiemalibus habendarum titulum tegeaticum adderem, quo Agesandro Nicostrati F. Scotussaeo proxenia a Tegeatis decernitur, non inutile esse cogitabam proxenos Atheniensium, quorum vel apud scriptores vel in titulis memoria exstaret, colligi, ut in uno conspectu viderentur atque quam late haec apud Athenienses institutio patuisset intelligi posset. Nam quanquam horum documentorum ea ratio est, ut exiguum tantum partem eorum, quos Athenienses proxenos suos esse voluerunt, cognoscere possimus, etiam sic tamen numerus urbium, in quibus proxenos Athenarum fuisse testantur, tantus est, ut in omnibus Graeciae septentrionalis, Peloponnesi, insularum, coloniarum urbibus, quibuscum aliquo tempore rationem haberent, exstiterit coniecturam facere possimus. Et quod maxime perspiciamus, huic rei ne eo quidem multum derogatur, quod tituli superstites ad diversa tempora pertinent: nam primum tempora illa terminis paulo angustioribus circumscripta esse apparet, cum temporis decursu proxeniae elevata dignitate civitas potius dari solita sit, id quod inde a fine fere saeculi quarti a. Chr. n. saepissime factum esse intelligimus. Deinde si uno aliquo tempore proxenum in urbe aliqua fuisse testes exstant, et prius et postea etiam plerumque fuisse cum per se verisimile est tum eo magis probabilitatis speciem nanciscitur, quod fere semper etiam posteris eorum, qui proxeni nominantur, eadem iura eidemque honores tribuuntur: quocum coniungenda sunt, quae vel Thucydides Alcibiadem dicentem facit 6, 89: *τῶν δὴ ἐμῶν προγόνων τὴν προξενίαν ὑμῶν κατὰ τὴν ἔγκλημα ἀπειπόντων αὐτὸς ἐγὼ πάλιν ἀναλαμβάνων ἐθεράπευον ὑμᾶς*, et 5, 43 narrat: *Λακεδαιμόνιοι — αὐτὸν (Alcibiadem) — κατὰ τὴν παλαιὰν προξενίαν ποτὲ οὖσαν οὐ τιμήσαντες, ἦν τοῦ πάππου ἀπειπόντος αὐτὸς — διανοεῖτο ἀνανεώσασθαι*, vel Xenophon Hellen. 6. 1, 4 Polydamantem Pharsalium apud Lacedaemonios dixisse tradit: *προξενος ὑμῶν ὧν καὶ εὐεργέτης ἐκ πάντων ὧν μεμνήμεθα προγόνων, ἀξιῶ ἐάν τε τὴ ἀπορῶ πρὸς ὑμᾶς ἵέναι, ἐάν τε τὴ χαλεπὸν ἐν τῇ Θεσσαλίᾳ συνιστῆται, σημαίνειν*. Alia, quae idem ostendant, exempla infra affe-

rentur. Sed cum in eam cogitationem venissem, expectandum esse corporis inscriptionum atticarum volumen alterum intelligebam. Cuius pars prior cum nuper prodiisset, subsecivis ut potui horis pervolutavi et quantum Ulricus Koehler, vir egregius, summa sua accurate et praeclara eruditione praestiterit dum cum gaudio et admiratione agnosco, quae ad proxenos Atheniensium pertinerent collegi eisque, quae aliunde nota fuerunt, addidi.

Primum igitur urbes in continenti sitas enumerabo. Atque eorum titulus ducat, cuius cum in Corporis inscriptionum atticarum vol. 1 n. 27 pars tantum sinistra dari potuisset, altera parte dimidiata prope Erechtheum reperta nuper admodum in Schedis literariis hellenicis Francogallorum (Bulletin de la correspondance hellénique VI. VII p. 303 sqq.) multo auctior editus est, ita ut ad *Thespienses* eum pertinere intelligamus. Titulus hic est:

. . . . λεως εἶπε· Κο[ρρινά]θην καὶ
Θαλκιδην καὶ Μενέστρατον κα-
αὶ Ἀθηναίον τοὺς Θεσπιᾶς ἀναγο-
αῖσαι προξένους καὶ εὐεργέτα-
ς Ἀθηναίων καὶ τοὺς παῖδας τοὺς
ἐκείνων ἐν πόλει ἐν στήλῃ λιθί-
νῃ καὶ οἱ πωληταὶ ἀπομισθωσά-
ντων τὴν στήλην, τὸ δὲ ἀργύριον
παρεχόντων οἱ κωλακρίεταί.

Literarum formis P. Foucart, qui edidit, recte dicit ostendi titulum ad medium fere saeculum quintum referendum esse, quo tempore Athenienses multas Boeotiae urbes ad suas partes se applicare coegerant, donec clade ad Coroneam accepta Boeotia cedere deberent (Thucyd. 1, 113). Primum, quem proxenum Athenienses nominarunt, *Corrinadem* fuisse Foucart ideo coniecit, quod hoc nomen Thespiensis in titulo legitur, quem G. Kaibel *Hermæ* 8 p. 418 edidit. Antiquissimus vero hic titulus est inter superstites, quibus proxenia ab Atheniensibus alicui datur. Deinde *Plataeis* quin proxeni Atheniensium fuerint, dubitari non potest atque titulo C. I. Att. 2, 173 Lycurgo Lycophronis F. Butade rogante a. 332/1 Plataeensi, cuius nomen ipsius in lapide non iam exstat atque de patris nomine nihil nisi *ἡμων*, videri potest proxenia data esse, quanquam titulo 176, qui ad a. 330/29 pertinet, eodem Lycurgo auctore Eudemo Philurgi F. Plataeensi eadem fere iura ac privilegia tribuuntur neque vero proxenia decernitur, sed ut inter eos numeretur, qui populo Atheniensium bene fecerint (*ἐπαινέσαι — καὶ σιγα- νῶσαι — καὶ εἶναι αὐτὸν ἐν τοῖς εὐεργέταις τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων*). Fortasse igitur ne alteri quidem illi Plataeensi aliud tributum esse recte iudicabimus. *Erechomeni* proxenos Atheniensium fuisse C. I. A. 2, 21 ostendit, quod plebiscitum a. 377/6 factum est, quanquam ad Eurytionis honorem alium pertinuisse primi duo versus literis maioribus scito ipsi praemissi docent: *Εὐρυτίωνος Ἐρχομενίου προξένου καὶ εὐεργέτιου*, et quae deinde sequuntur: *ἐπειδὴ Εὐρυτίων καὶ ὁ πατήρ αὐτοῦ Ποταμόδωρος καὶ οἱ πρόγονοι αὐτῶν πρόξενοί τε εἰσὶν Ἀθηναίων καὶ εὐεργέται καὶ ἄνδρες ἀγαθοί* —. Atque Koehlerus demum nomen Eurytionis in lapide agnovit, cum St. Pit-

takis Eph. arch. 1368 et R. Rangabis antiqu. gr. 2, 2296 in v. 1 *ρῦλλινος* et in v. 6 *Ἐδρωλίων* dedissent, C. Keilius (Zur Sylloge inscr. boeot. p. 642) *Γρυλίωνος* et *Γρυλίων* legi voluisset. Neque dubito, quin in catalogo militum erchomeniorum, qui apud Rang. 1304 est, a C. Keilio l. d. p. 562 repetito v. 43 in lapide exstet *Ποταμόδωρος Ἐδρωτιώνος*, cum Rangabis dederit *Ἐδρωτιώνος*: nam versus septem extremos tituli ita detritos esse L. Rossius dixerat, ut legi non possent. Denique *Thebis* aliquando Pindarum ab Atheniensibus hospitem publicum nominatum esse Isocratis testimonio certo constat, qui 15 §. 116 haec scripsit: *εἰ Πίνδαρον μὲν τὸν ποιητὴν οἱ πρὸ ἡμῶν γεγονότες ὑπὲρ ἐνὸς μόνου δῆμαιος, οὗ τὴν πόλιν ἔρεισμα τῆς Ἑλλάδος ἀνόμασεν, οὕτως ἐτίμησαν, ὥστε καὶ πρόξενον ποιήσασθαι καὶ δωρεὰν μυρίας αὐτῷ δοῦναι δραχμάς.* cf. A. Boeckh. ad Pind. fragm. 2, 2 p. 579 sq. — Transeamus ad *Cleonaecos*. C. I. Att. 2, 181 fragmenta plebisciti habentur, quibus Lapyris Calliae F. Cleonaeus, proxenus Atheniensium, populiscito collaudatur, quod de legatione sacra ad Nemea missa, ut videtur, bene meritus erat. Atque ex verbis eius decreti, quod a. 323/2 factum est, extremis per multos annos maiores eius eodem munere functos fuisse apparet: *ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα [τὸν γραμματεῖα τῆς βουλῆς [εἰς τὴν στήλην τὴν ἐν] ἀκροπόλει ἐ[ν] ἢ γέγραπται Ἐχεν[βρότι] Κλεωναίῳ τῷ προξένῳ τῷ Λαπί[ροιο] ἢ προξενία.* Ea vero tabula, cui Echembroti proxenia inscripta erat, et ipsa servata est, C. I. Att. 2, 29: *[Κλε]ωναίου προξέ[ν]ου Ἐχεν[βρό]του. Θεοί. [Ἐδο]ξεν τῇ βουλῇ. . . . ἀναγράψαι τὸν γραμματεῖα τῆς βουλῆς Ἐχέμ[βρο]τον εἶναι Ἀθηναίων πρόξε[νον] καὶ εὐεργέτην καὶ ἀπὲρ ὁ π[ατήρ] αὐτοῦ Λάπυρις,* quod senatus decretum sibi videri ante a. 376 scriptum esse U. Koehler ad tit. 22 iudicat. Quod vero hic in Echembrotum senatus decreto proxeni honores delati sunt, cum alii proxeni populi iussu fierent, idem Hermae 5 p. 17 ita explicat, ut, patri Echembroti et posteris cum proxenia iussu populi more solenni data esset, ad eundem honorem filio continuandum non denuo populi decreto opus fuisse existimet, cuius rei aliud exemplum contulit, de quo infra videbimus, ubi ad proxenos Thasios pervenerimus. — Aristomachus *Argivus* eiusque pater quam bene de Atheniensium rebus publicis et singulis civibus meruissent, decreto populi singillatim expositum erat, cuius nunc miserae reliquiae C. I. Att. 2, 161 exstant. Videri hoc decretum circa annum 336 factum esse et quae pater fecisset ad bellum corinthiacum pertinere U. Koehler Hermae 5 p. 4 sqq. exposuit. Proxenos vero Argivos illos Atheniensium fuisse quantum in decreto nunc scriptum non exstat, propter ea, quae legi possunt, collatis aliis eiusmodi decretis admodum probabile est. — Archonte Athenis Aristione, a. 421/20, iussu populi Polystratum *Phliasium* et Asteam *Aleensem* proxenos factos esse, C. I. Att. 1, 45 docet. Nam utrumque honorem eodem tempore decretum esse videntur verba postrema ostendere: *(ἐπαινέσαι Ἀσίαν τὸν Ἀλεὸν) καὶ ἀναγραψάτω πρόξενον καὶ εὐεργέτην Ἀθηναίων καὶ ἀπὲρ Πολύστρατον τὸν Φλειάσιον ἐσιῆλη λιθίνῃ ὃ γραμματεῖς ὃ τῆς βουλῆς.* Rectissime vero A. Kirchhoff in laceris alius tituli reliquiis (44) videtur ipsum illud decretum agnovisse, quo Polystrato Phlasio honores tributuri erant. Atque verisimile est propter unam eandemque causam cives illos vicinarum urbium (cf. E. Curtius Peloponn.

I p. 208 sq.) ab Atheniensibus, quos eo tempore cum civitatibus illius regionis saepe egisse novimus, honoratos esse. — *Lacedaemoniorum* proxenos Athenis complurium gentium viros nobilissimos fuisse constat. Nam praeter Alcibiadis gentiles, de quibus supra dixi, etiam Daduchos eandem sibi cum Lacedaemoniis rationem intercedere gloriabantur. Sic Callias apud Xenophontem Hell. 6. 3, 4: τὴν μὲν προξενίαν ὑμῶν οὐκ ἐγὼ μόνος, ἀλλὰ καὶ πατὴρ πατῆρ ἔχων τῶ γένει. Cf. 5. 4, 22 et Conviv. 8 §. 39, ubi nunc ex Cobeti et mea coniectura legitur: πρόξενος δ' εἶ καὶ καιάγονται ἀεὶ παρὰ σοὶ οἱ κρᾶνισοὶ αὐτῶν. Atque multo etiam illustrior Cimon fuit: cf. Plutarch. Cim. c. 14, qui ob eam ipsam causam uni filiorum Lacedaemonio nomen dedit (Plut. l. d. c. 16. Thucyd. 1, 45. C. I. Att. 1, 179). Nam hic videtur mos fuisse proxenorum, ut filios ex nomine eius gentis, cuius proxeni essent, nominarent, ut Cimon alterum filium Eleum, tertium Thesalium appellavit, ut Lacon Plataeis proxenus Lacedaemoniorum fuit (Thuc. 3, 52) atque Athenaeus Thespiensis, quem ab Atheniensibus proxenum factum esse vidimus, ex gente oriundus fortasse fuit, in qua proxenia illa hereditaria esset. Atheniensium proxeni qui Lacedaemone fuerint, parum scimus: nam unum Coroebum a. 372/1 pace facta ab Atheniensibus animi grati testificandi causa eo honore affectum esse e decreto populi C. I. Att. 2, 50 cognoscimus. Sed ut Calliam ad pacem illam conciliandam Lacedaemonem missum esse Xenophon tradidit, ita Athenaeum Lacedaemonium, quem Thucydides (3, 119) inter eos fuisse tradit, qui cum Atheniensibus de induciis agerent, proxenum Atheniensium fuisse crediderim (cf. 3, 122). — In Thesalia Pharsalia proxenum Atheniensium Thucydidem nomen habuisse Thucydides 8, 92 tradidit, qui cum imperium quadringentorum evertetur Athenis fuit et salutari consilio operam dedit, ne cives arma contra cives sumerent. Ac fortasse decretum, cuius frustum C. I. Att. 2, 214 est, de proxenia Pharsalio tribuenda agebat. Ad *Larisacum* proxenum, cui nomen Κ]οῖρος fuisse U. Koehler suspicatur, fortasse frustum populisciti pertinet, quod est in C. I. Att. 2, 177. — Porro decreto, cuius frustum est C. I. Att. 2, 175, in . . . σαρχο[ν] quendam, Cydrionis filium, *Actolum*, proxeniae honores collati sunt. Ad quem id annum referendum sit, certius defini non potest, videtur tamen anno fere 330 vel paullo post factum esse. Denique hic commemorandus est Euenor Euepii F. *Acarum*, ex Argo Amphilochio oriundus, medicus, quem Athenienses a. 322/1 proxenum nominarunt, aliquot vero annis post, cum sedem Athenas transtulisset et arte sua facienda optime de civibus multis meruisset, civitate sua donarunt. Haec duobus populiscitis edocemur, quae in C. I. Att. 2, 186 et 187 sunt. Medicum eum clarissimum fuisse loci ab A. Boeckho, quem Koehlerus conferri iussit, stud. epigr. chronol. p. 174 collecti docent.

Sed veniamus ad insulas. *Corcyrae* quidem Thucydides 3, 70 Pithiam, proxenum voluntarium Atheniensium (*Πειθίας ἐθελουπόξενος τῶν Ἀθηναίων*), qui summa apud populares auctoritate esset, cum foedus cum Atheniensibus ut fieret opera sua perfecisset et magis etiam id astringere velle perhiberetur, a. 427 ab optimatibus interfectum esse narrat. Apud eundem Thucydidem 2, 85 Niciam Cretensem *Gortynium*, Atheniensium proxenum,

belli anno tertio eis persuasisse legimus, ut classis, quam Phormioni precibus eius permoti auxilio mitterent, praetervehendo in Creta insula appelleret et Cydonia urbe potiri conaretur. Deinde C. I. Att. 2, 9 frustum est decreti, quo *Rhodium*, cuius nomen intercidit, proxenus nominatur, quod a. 394/3 factum esse Koehlerus vidit Ebulidis archontis nomine in v. 3 recte restituto, nam de Eubulo, archonte a. 345/4, cogitari nullo modo potest. Eo vero tempore Rhodii a Lacedaemoniis defecerant et ad Atheniensium partes transierant. Porro *Iulide* proxenum Atheniensium fuisse nuper admodum comperimus. Stephanus enim Cumanudes in Athenaei vol. 5 p. 517 sqq. et U. Koehler in Commentariis instit. archaeol. atheniensis 2 p. 142sq. populiscitum gravissimum ediderunt, in area illa Asclepiei repertum, sub rupibus arcis meridionalibus felicissimo societatis archaeologicae atheniensis consilio eruderata, quo memoria turbarum civilium in insula Ceo per complures annos continuatarum continetur. Urbes insulae anno fere 375 in foedus maritimum novum receptae erant (cf. Busolt de foedere attico novo p. 766 sq.). Tum vero optimates, ut videtur, contra Athenienses et foederatos arma ceperant, Atheniensium amicos expulerant, proxenum Atheniensium occiderant, sed victis eis et capite damnatis Athenienses amicos suos in urbes suas Chabria duce reducerant, Antipatrum, proxeni interfectorem, morte multaverant, foederis conditiones renovati et fortasse aliquantum mutati una cum nominibus eorum, qui foedus violaverant, lapidibus inscripserant. At optimates illi denuo in urbes suas redierunt et eos qui ab Atheniensibus reducti fuerant aut interfecerunt aut bonis publicatis capite damnarunt, columnas illas everterunt. Tum vero eis denuo devictis populiscito feliciter reperto a. 363/2 rogante Aristophonte constitutum est, ut bonis publicatis in exilium mitterentur et qui ab eis damnati feliciter effugerant Iulidem redirent. De nomine proxeni v. 39 cum hae literae supersint *Α. ΙΣ. ΩΝΑ*, nomen ei vix aliud quam *Autesioni* fuisse potest. In transcursu moneo v. 65 ea, quae Koehlerus supplevit: *εἰ δέ τις [βούλεται καιτοι]κεῖν ἐγ Κέω, ἐάσω αὐτὸν ὅπου ἂν βούληται τῶ[ν συμμαχίδων πόλ]εων οἰκοῦντα τὰ ἐαντιῶ καρποῦσθαι*, ferri non posse, sed videri potius scriptum fuisse: *εἰ δέ τις [μὴ βούλεται οἰ]κεῖν ἐγ Κέω* —, neque enim obstat, quod *ΒΟΥΛΕΤΑΙ* scribendum est, cum in eodem versu scriptum sit *ΒΟΛΗΤΑΙ*, nam eadem inconstantia v. 35 *ΟΣΙΑΣ*, v. 41 *ΟΥΣΙΑΝ* scriptum est. — Proxeniā duobus *Andriis* datam esse decretum C. I. Att. 2, 122 demonstrare videtur, cum praemissum sit . . . *νίδου . . . ου Ἀνδρίων*, quod fere proxeniarum decretis praescribi solet: factum est decretum a. 338/7. — Felici casu factum est, ut de *Carystis* proxenia ab Atheniensibus ornatis tria testimonia exstent. Primum enim in addendis C. I. Att. vol. 2 p. 396 decretum editum est, quo a. 399/8 Pythophani proxenia, quae ei antea iam data fuisse dicitur, renovatur. Recte vero Koehlerum coniecisse existimo prius illud populiscitum sub triginta virorum imperio deletum fuisse, cuius rei aliud exemplum infra afferemus. Quaequam de civitatis nomine, unde Pythophanes originem duxit, literae tantum v. 9 *ίω* et v. 12 *σίων* servatae sunt, veri similis est eiusdem Koehleri coniectura *Καρυσίω* et *Καρυσίων* scriptum fuisse, cum his nominibus literarum numerus recte ex-

pleatur*). Deinde Hegesippus in oratione de rebus Halonnesi §. 38 de Philippo dicit: *ὅς τὸν μὲν Καρύσιον, τὸν πρόξενον τῆς ἡμετέρας πόλεως, ὑπὲρ οὗ ἡμεῖς τοῖς πρέσβεις ἐπέμψατε ἀπαιτοῦντες, τοῦτον τὸν ἄνδρα οὕτω σφόδρα ὑμῖν ἐβούλετο χαρίσασθαι ὥστ' ἀπέκτεινε καὶ οὐδ' ἀναίρεσιν ἔδωκεν, ἔνα ταφῆ.* Denique C. I. Att. 2, 249 Timosthenes Demophanis F. Carystius, qui diu ut videtur proxenus fuerat, quod saepius egregie de rebus publicis Atheniensium singulisque civibus meritus fuerit, magnis laudibus effertur et corona aurea donatur. — *Chii* porro temporibus Periclis Hermesilaum proxenum Atheniensium fuisse festiva illa Ionis Chii narratione de convivio constat, quo Hermesilaus Sophoclem poetam excepit, cum a Pericle in expeditione samia Chium et Lesbum missus esset (cf. Thucyd. 1, 116), quam narrationem Athenaeo debemus 13 p. 603. F (*Ἐρωσιλέω ξείνον οἱ ἐόντος καὶ προξείνου Ἀθηναίων*). — Cum *Mytilenaei* a. 428 ab Atheniensibus deficere meditentur, horum proxenos, qui Mytilenis essent, id indicasse Thucydides narrat 3, 2: *καὶ αὐτῶν Μυτιληναίων ἰδίᾳ ἄνδρες κατὰ σιάσιν, πρόξενοι Ἀθηναίων, μηνυταὶ γίνονται τοῖς Ἀθηναίοις.* Pluribus idem Aristoteles tradit Politic. 8 (5), 4 p. 1304 a 4, Timophane, viro opulento, mortuo Dexandrum, proxenum Atheniensium, qui filias illius duas suis filiis nubere voluisset, repudiatum hanc contumeliam aegre tulisse et Athenienses ad bellum patriae inferendum excitasse. Praeterea Demosthenes or. 40 §. 56 Mantitheum dicentem facit se Mytilenis ab Apollonide, proxeno Atheniensium, aliisque amicis urbis pecuniam mutuam sumpsisse. — Denique *Thasi* proxenos Atheniensium fuisse ostendi potest. In C. I. Att. enim 2, 3 decreto senatus Amyntori, Eurypylo, Argio, Locro, Alcimo, filiis Apemanti, proxenia redintegratur, Eurypyli ut videtur rogatu, qui extremis decreti verbis ad cenam hospitem in prytaneum invitatur. Fratres illi iam dudum proxeni fuerant, nam columna, cui id inscriptum fuerat, a triginta viris dicitur eversa esse (*ἐπειδὴ καθηρέθη ἡ στήλη ἐπὶ τῶν τριάκοντα, ἐν ἧ ἦν αὐτοῖς ἡ προξενία*). Atque recte C. Curtius, qui hanc inscriptionem in arce Athenarum prope Parthenonem repertam primus Hermae 4 p. 404 sqq. edidit, iam Apemanto eam datam fuisse suspicatur. Cuius nomini cum more solito additum fuisset *καὶ τοῖς ἐκγόνοις*, iure Eurypylus a senatu petere potuit, ut sibi et fratribus, nam pater interea mortuus fuisse videtur, proxeniae honores continuarentur. Ac senatum suo id decreto facere potuisse, ut idem Curtius coniecit, re non denuo ad contionem relata, simile decretum comprobatur eodem fere tempore de proxenia Echembroto Cleonaeo redintegranda factum, de quo supra diximus. Cum vero etiam populiscitum, pessime sane illud habitum, C. I. Att. 2, 4, quo multis hominibus in patria sua atticismi reis privilegia quaedam et honores tribuuntur, nomina complura contineat, quae rarissima sunt neque inveniuntur nisi in titulis thasiis, ut Pancharis Euphrilli (inverso ordine *Εὐφροῖλος Παγχάρου* in titulo thasio commemoratur C. I. Gr. 2, 2161 et *Εὐφροῖλλ[ος]* in lapide inventus est ab Al. Conze

*) In v. 22 Koehlerus supplevit haec: *ταῦτα μὲν ἔστω ἐψηγησμένα ὅσης Ἀθηναῖοι [κρατοῦσι πάσ]ι τοῖς Πυθοφάνου κατὰ ταῦτά, sed videtur potius legendum esse: ὅσης Ἀθηναῖοι [κρατοῦσιν, κα]ὶ τοῖς Π. κ. τ.*

itineris in insulis maris thracii p. 13), Pythion, quod nomen est apud Hippocratem epidem. 3, 1 p. 201 Erm. et p. 225 Erm., Aglaophon, cuius nominis pictor clarissimus Thasius notissimus est, Koehlerus eos omnes pro Thasiis habendos esse vidit et, cum inter eos etiam Amyntor Apemanti commemoretur, etiam Apemantum eiusque filios Thasios fuisse. Quod autem scriba senatus novam columnam sumtibus Eurypyli inscribere iubetur (*ἀναγράψαι τὴν στήλην τὸν γραμματεῖα τῆς βουλῆς τέλει τοῖς Εὐρυπύλου*), id videtur ideo factum esse, quod Eurypyli rogatu senatus, non sua id voluntate fecit.

Tertio loco eos recensebo proxenos, qui in coloniis thracicis fuerunt. Ac primum commemoro eum, quem *Apolloniae* fuisse testatum habemus, nam Apolloniam tantum Chalcidicam intelligendam esse mentio Methones docet, quacum coniuncta est a Demosthene 9 §. 26 aliisque locis. Aristophontis rogatu a. 355/4 populiscito Lachares Charetis F. Apolloniata cum posteris proxenia honoratus est (C. I. Att. 2, 70), quod filium suum Methonen miserat, ut gravem aliquem nuntium Atheniensibus afferret: belli enim socialis tempore duces et classes Atheniensium in illis regionibus versabantur. Etiam nunc vero coniecturam teneo, quam in Nuntiis soc. lit. gott. 1867 p. 155 proposui: *καὶ ἐπεμ[υσεν τὸ | ν νῖὸν τ]ὸν ἑαυτοῦ εἰς Μεθώνην*. Etiam hoc decretum scriba senatus impensis Lacharis (*τέλεισιν τοῖς Λαχάρου*) columnae in arce inscribere iubetur, cuius rei eadem causa videtur statuenda esse, quam cum de Eurypylo dicerem indicavi. — Euthycratem *Olynthium* aliquando ut Athenienses proxenum facerent Demadem rogasse memoriae eo proditum est, quod Hyperides, qui Demadis rogationem impugnabat, ei, quod Demades populiscitum proposuerat, acerbissimo adversarium sale defricans alterum opposuit, quo omnia, quibus Euthycrates et patriae suae salutem perdidit et Atheniensium reipublicae nocuerat, causae esse dicerentur, ut Athenienses illo honore eum afficerent. Post pugnam chaeroneensem, sed ante Philippi mortem Demadem id rogasse ex eis apparet, quae Apsines rhetor. graec. 9 p. 547 W. ex oratione Hyperidis excerpit: cf. G. Kiessling, de Lycurgi fragmentis p. 177 sqq. Fragm. or. att. p. 287 sq. Fr. Blass Hyperidis p. 80. Sed neque id constat, quibus rebus Euthycratem de Atheniensibus bene meruisse Demades dicere potuerit, neque qui causae ab Hyperide Demadi intentae fuerit eventus. — Nymphodorus, Pythaeae F., *Abderita*, documento est, quam utilem operam proxeni Atheniensium saepe praestiterint. Sororem Nymphodori in matrimonium Sitalces duxerat, rex Odrysarum. Eum ab Atheniensibus a. 431 et proxenum factum esse Thucydides narrat (2, 29) et perfecisse, quod Athenienses speraverant, ut Sitalces et Perdiccas, rex Macedonum, foedus cum Atheniensibus pangerent et Phormioni contra Chalcidenses bellum gerenti magnis copiis subsidio venirent. Idem paullo post effecit, ut legati Lacedaemoniorum, qui ad regem Persarum proficiscerentur et in itinere Sitalcen ab Atheniensibus abalienare et Lacedaemoniis conciliare vellent, comprehenderentur et Athenas mitterentur (cf. Herodot. 7, 137. Thucyd. 2, 67). — C. I. Att. 2, 76 misera frustra populisciti habentur, quo rogatu senatus a populo de ea re quaerere iussi Timaphenidae *Aenio* eiusque posteris honos proxeni tribuitur: nam Koehlerus et *τῆς προξενίας* recte videtur suppluisse et nomen Timaphenidae novo

proxeno reddidisse, cum in lapide tantum literae *TI... ΦΕΝΙΛΛΑΙ* agnoscī possint. — *Sestium* fuisse Philiscum cum prioribus omnibus, qui inscriptionem tractarunt, Pocockio inscr. gr. et lat. p. 55, Boeckhio C. I. Gr. 1, 91, St. Kumanude in *Παλιγγενεσία* 1867, R. Schoenio ectyporum graec. p. 48, etiam ego in Nuntiis soc. lit. gotting. 1867 existimaveram. Sed Koehlerus, qui lapidem se plus semel accurate inspexisse dicit (C. I. Att. 2, 69), ultimas literas tituli praemissi neque esse *ΣΗΣΤΙΟΙ*, quod Pocockius, nec *ΣΗ... ΙΟΙΣ*, quod Cumanudes dedit, sed nunc haec cerni posse testatur:

*ΠΡΟΞΕΝΙ ΑΚΑΙΕΥΕΡΓΕ ΣΙ.
ΦΙΛΙΣ. ΩΙ ΛΥΚΟΥΑΥΤΩ.
ΚΑΙ Ε. ΓΟΝΟΙ ΣΣ. Ι. ΑΙΩ.*

Quid igitur in his literis ultimis *Σ. Ι. ΑΙΩ* lateat, deinde videndum est. Id vero hac inscriptione teste certum est Philiscum Lyci filium proxenum fieri, *ἐπ[ειδὴ Φίλισκος ἀνὴρ ἀγα]θὸς ἐγένετο [περὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων μὴνύσας τὸν τῶν Βυζαντίων σιόλ]ον*, quanquam haec postrema coniectura mea supplevi. Nam cum Cumanudes collatis inter se titulis, qui nunc sunt in C. I. Att. 2, 69 et 70 (Lacharis proxenia, de qua supra dictum est), recte viderit utrumque, ut iam Boeckhius coniecerat C. I. Gr. 90. 91, anno 355/4 scriptum esse, belli socialis tertio, eoque tempore Chares cum classe in illis regionibus versatus sit, videtur ea coniectura, quae ad literarum numerum necessariarum prorsus convenit, satis probabilis esse. Ac similem vidimus fuisse rationem proxeniae Lachari datae videbimusque fuisse Phano-crito Pariano impertitae. At quanam fuit Philisci patria? Si vestigia literarum a Koehlero, teste locupletissimo, indicata tenemus et oppidum illius regionis, cuius nomen eis conveniat, circumspicimus, aut *ΣΑΡΤΑΙΩΙ* aut *ΣΕΡΜΑΙΩΙ* aut *ΣΙΡΡΑΙΩΙ* legi potest. Stephanus enim Byz. *Σάρτη, πόλις περὶ τὸν Ἄθων. τὸ ἐθνικὸν Σαρταῖος.* et *Σίρρα, πόλις Θράκης. Θεόπομπος ἐν Φιλιππικῶν εἰκοσιῶ. τὸ ἐθνικὸν Σιρραῖος.* Atque Sartaei et Sermaei in compluribus monumentis foederis deliaci attici inter oppida tributī thracici commemorantur: cf. Koehlerī quaestiones de eo foedere p. 180. De alterutro igitur horum oppidorum cogitaverim. — Pythagoras *Schymbrianus* Athenis mortuus erat eumque publicis sumtibus Athenienses extulerunt et columellae marmoris pentelici haec inscribi iusserunt (St. Cumanudis *Ἀττικῆς ἐπιγρ. ἐπιτύμβιοι* p. 12 n. 15):

Πυθαγόρου.

*Προξενίας ἀρετῆς τε χάριτι προγόνων τε καὶ αὐτοῦ
ἐνθάδ' Ἀθηναῖοι Πυθαγόρην εἶθεσαν
υἱὸν δημοσίᾳ Διονυσίου, ἐπιπόβοτον δὲ
πατρίδα Σαλυβρίαν ἔκευ ἄχος φθιμένον.*

E formis literarum C. Curtius in *Ephemer. archaeol.* IV (1871) p. 29 apparere dicit titulum haud multo post Euclidis annum scriptum esse. Eodem modo Corcyraeos aliquando Menecratem, Tlasiae filium, Oeanthensem, proxenum suum, in itinere, ut videtur, Coreyram facto undis obrutum, publice sepelivisse per titulum notissimum constat, quem R. Rangabes *antiqu. hell.* 1 p. 382 et L. Rossius commentat. *archaeol.* 2 p. 561 sqq. ediderunt. Py-

thagorae vero etiam maiores eodem proxeniae honore insignes fuisse titulus sepulchralis ostendit. Sed alios quoque Selymbrianos, qui proxeni Atheniensium haud multis annis ante fuerunt, nuper admodum cognovimus: nam titulo in area illa Asclepiei invento, quem St. Cumanudes Athenaei 5 p. 513sq. edidit, populiscitum continetur, quo et Apollodoro Empedi F. et . . . macho Selymbrianis proxenia datur. Et cum de Apollodoro haec scripta sint: *δοῦναι δὲ καὶ Ἀπολλοδώρῳ τὴν προξενίαν καθάπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ*, Empedum iam antea proxenum fuisse sequitur. Vera autem videtur Cumanudis coniectura esse decretum ad a. 408/7 pertinere existimantis, quo anno Selymbriam ab Alcibiade captam esse Xenophon Hell. 1. 3, 10 et Diodorus 13, 66 breviter commemorant, Plutarchus, Ephorum ut videtur secutus (cf. Vil. Fricke de fontibus Plut. in vitis Niciae et Aleib. p. 76sq. P. Natorp Quos auctores in ultimis belli pelop. annis describendis secuti sint Diod. Plut. Cornel. Justin. p. 30 etiam e Theopompi historiis quaedam addita esse putat), pluribus narrat. Tum Alcibiades obsides a Selymbrianis accepisse atque Athenas misisse videtur, inter quos Apollodorum fuisse in populiscito scriptum est. Cum vero deinde Alcibiades Athenas rediisset atque etiam legati Selymbrianorum eo venissent, foedus in contione, ut ab Alcibiade Selymbriae pactum atque iureiurando firmatum erat, probatum est, obsides dimissi, legati laudati, Apollodoro et alteri illi, fortasse uni ex legatis, proxenia decreta. Decretum quod accurate tractetur dignissimum est, et ob rerum de quibus in eo agitur gravitatem et ob eius qui rogavit claritatem: nam Cumanuden in v. 26 literas *κβ* ex nomine Alcibiadis reliquas esse recte vidisse existimo. Hoc unum addo, in v. 17 Cumanudensium recte legi velle *τὰ δὲ ἄλλα χσύμβολα* [*τὰ* *πρὸ τῷ ἐν τοῖς ἰ[διό]ταις* *πρ[ὸς τὸς ἰδιότητας*, cum scriptum fuisse appareat *τὰ δὲ ἄλλα χσύμβολα* *Ἡὰ πρὸ τῷ ἐν τοῖς ἰδ. πρ. τ. ἰδ.*, hoc est *τὰ πρὸ τῷ ἦν τοῖς ἰδ.* In v. 24 nescio cur Cumanudes *οἱ στρατηγοὶ* [*καὶ* *Ἡοι* *αρχο*] scribi iusserit, cum *καὶ οἱ ταχσίαρχοι* numerum literarum expleant eique haud raro cum strategis in eiusmodi sacramentis coniuncti reperiantur*). — Archebium et Heracliden, *Byzantios*, qui a. 390 patriam urbem Thrasybulo Stiriensi tradiderant (Xen. Hellen. 4. 8, 27. Demosth. 20 §. 60), postea cum patria excidissent ab Atheniensibus proxenos factos esse Demosthenes l. d. testatur. Sed in aristocratea §. 189, quam a. 352 habitam esse constat, Archebium inter eos esse dicit, qui Charidemum, si quid contra Atheniensium commoda facere vellet, impedire non possent. Tum igitur eum necesse est iterum Byzantii fuisse. Et quanquam neque quando in exsilium missus fuerit neque quando in patriam redierit, certo scimus, eum tamen rediisse post finem belli socialis, h. e. a. 355, veri haud est dissimile. Postea vero a. 340/39, ut Koehlero videtur, Athenienses Apellem, Zopyri filium, Byzantium, proxenum esse voluerunt, quia imperatoribus Atheniensium in omnibus rebus, quibus necessarium esset, opem tulisset: C. I. Att. 2, 1:9. Denique C. I. Att. 2,

*) Etiam apud Plutarchum l. d. data occasione moneo scribendum esse *μηδέπω τῆς στρατιᾶς οὔσης ἐπιόμης ἀναλαβῶν ὅσον τριάκοντα τῶν περὶ αὐτὸν ἠπείγματο δρόμῳ πρὸς τὰ πείγη*. in libris enim *τῶν* deest.

414 populiscitum est, quo Ἡοῖς Κόθωνος Βυζάντιος, qui triremi praefectus cum classe Byzantium in Piraeum venerat, proxenus factus est: quod populiscitum Koehlerus recte ad tempora belli macedonici (a. 200.sqq.) retulit, quibus Byzantium ab Attali partibus contra Philippum stabant. Cum saepius tum Athenienses a Philippi ferocitate gravissima passi essent, Byzantium classem in Piraeum venisse sine dubio valde laetabantur. Similia de Attalo et Romanis, cum in Piraeum cum classe venissent, ab Atheniensibus honoribus omnis generis oneratis Livius 31, 45 narrat.

His urbibus in oris Thraciae sitis addo colonias in Asia minore conditas. Ac primum quidem *Heraclea Pontica* commemoranda est. Nam primum C. I. Att. 1, 65 index populisciti satis antiqui exstat:

Σ Ο Τ Ι Μ Ο Η Ε Ρ Α . Ύ Ε Ι Ο Τ Ο Κ
Α Ι Ε Κ Α Ο Ν Ο Ν Π Ρ Ο Χ Σ Ε Ν Ο Κ
Α Ι Ε Υ Ε Ρ Α Ε Τ Ο Α Θ Ε Ν Α Ι Ο Ν

de quo conferendus est etiam R. Schoene in ectypis graecis p. 26sq. Deinde C. I. Att. 2, 87 populiscitum legitur, quo Protomacho, Aristomachi F., Heracleotae, proxenia datur. Literatura iudicat Koehlerus ostendi Ol. 104 fere (364 sqq. a. Chr.) id factum esse. Heracleotarum vero Athenis Callippum, hominem improbissimum, proxenum fuisse Demosthene teste constat 52 §. 5. 9. Porro proxeno *Parii*, oppidi Mysiae, favore fortunae contigit, ut immortalis memoriam nancisceretur. Nam C. I. Att. 2, 38 populiscitum exstat, quo Phanocritus Parianus et posterius Cephali, oratoris clarissimi, rogatu proxenia honorantur, ἐπει[δ]ὴ [παρ]ήγγειλε τοῖς στρατηγοῖς περὶ τῶν ν[ε]ῶν τοῦ παρά-πλου, καὶ εἰ οἱ στρα[τηγοὶ] ἐπίθοντο, ἐάλωσαν ἂν αἱ ἰσθμιοὶ αἱ πολέμια. nam παρῆγγειλε, quod nunc etiam Köhlerus dedit, legendum esse, non ἀπήγγειλε vel προήγγειλε, quod alii voluerant, in Nuntiis soc. lit. gott. 1867 p. 156 dixi. Similis igitur causa huius proxeniae fuit earum, quas Philisco et Lachari decretas esse vidimus. Quando vero id evenit, parum constat. Nam quod A. Kirchhoff, qui accuratissime de hoc titulo in commentatione de chronologia populiscitorum methonensium (Comment. acad. lit. berol. 1861) p. 599sq. exposuit, titulum literaturae rationibus ductus ante Ol. 100 (h. e. ante a. 380/79 a. Chr.) non posse non scriptum esse iudicavit et U. Koehler probavit, eo terminus modo constituitur, post quem inscriptus esse non possit, neque quidquam obstat, quominus multis annis ante eas res evenisse statuamus. Quare cum circa a. 380 certamina, qualia in eo populiscito significantur, in Hellesponto fuisse non constat, de illis vero regionibus propter Phanocriti patriam cogitandum sit, Kirchhoffii coniectura (p. 605) de temporibus belli corinthiaci cogitandum esse, quibus temporibus in illis regionibus et Thrasybulum versatum esse et ab aliis Atheniensium ducibus vario eventu pugnatum esse scimus, admodum verisimilis est. Necessarium vero est lapidem, qui nunc Parisiis est, denuo accurate examinari: nam quod v. 4 U. Koehler Darestii apographum secutus dedit ἀναγράψαι ἐν σιδήρῳ λιθίνῃ εἰς ἀκροπόλιν, quanquam numerum literarum, qui una maior est, ita excusavit, ut I aliquando non numerari diceret, tamen tam insolitum est, ut recte Kirchhoffius ἐν ἀκροπόλει scripsisse mihi videatur: atque Koehlerus Petropolitani E tantum legi posse dixerat, W. Fröhner autem ἐν ἀκροπόλει in

marmore legi addita voce sic disertis verbis testatus est (les inscriptions grecques du Louvre. Paris, 1865) p. 198. — Multo etiam antiquioris populisciti (litera Σ tres lineolas habet) miserae quaedam reliquiae C. I. Att. 1, 16 exstant, ex quo id aliquo modo cognoscimus, Parianum, cuius nomen intercidit, una cum Athenodoro quodam et Hicesio proxenos factos esse. — In priora etiam tempora reiicimur, cum Arthmium, Pythonactis F., *Zeleitam* Atheniensium proxenum fuisse commemorandum sit. Aeschines unus 3 §. 258 hoc tradidit: *εἰ οὐκ αἰσχύνεσθε, εἰ οἱ μὲν πατέρες ὑμῶν Ἀρθμιον τὸν Ζελεΐτην κομίσαντα εἰς Ἑλλάδα τὸ ἐκ Μήδων χρυσίον, ἐπιδημήσαντα εἰς τὴν πόλιν, πρόξενον ὄντα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων, παρ' οὐδὲν μὲν ἦλθον ἀποκτεῖναι, ἐξεκήρυξαν δὲ ἐκ τῆς πόλεως καὶ ἐξ ἀπάσης ἧς Ἀθηναῖοι ἄρχουσιν.* Dubitatum est, num Aeschini hoc credendum sit, proxenum Atheniensium Arthmium fuisse, sed recte L. Spengel (de Demosth. or. philipp. tertia p. 32 sqq. et H. Funkhaenel de Arthmio Zeleita (in Diurnis liter. antiqu. 1841 p. 305 sqq.) sic demum intelligi posse dixerunt, quomodo Athenienses Arthmium, peregrinum illum, capitis deminutione et exilio multare potuerint. Quamquam H. Funkhaenel, quod Arthmium, quia proxenus esset, Athenis commoratum esse existimavit, nunc quis est qui nesciat errasse? Nec de principatu aliquo vel hegemonia, quam iam tum Athenienses inter Graecos sibi arrogaverint, quod ille opinatur, cogitandum est, sed Athenienses Graecos a barbaris sic tentari, et ab eo quidem tentari, quem ipsi proxeniae honore dignati essent, indignati sunt. — Transferimur in saeculum alterum fere medium a. Chr. n., quo tempore Ap. . . . *Pergamenum αἰτησέμενον κατὰ τὸν νόμον*, si haec recte Koehlerus supplevit, proxeniam accepisse plebisciti reliquiae docent C. I. Att. 2, 438. — Deinde inter Ol. 106 et 111 (356 et 336 a. Chr.) *Phaselitam*, cuius nomen lacuna haustum est, nisi quod . . . ronis filium fuisse agnoscimus, cum posteris proxenum factum esse U. Koehler probabiliter coniecit: C. I. Att. 2, 145. — His urbibus asiaticis duae accedunt, altera Siciliae, altera Magnae Graeciae, in quibus proxenos Atheniensium fuisse tituli lapidibus inscripti testantur. C. I. Att. 2, 133 index populisciti habetur, *προξέ[γ]νία Διοκλεῖ καὶ [. . . ἠφ Καταναί[ο]ις* et 2, 199 indicis hae laciniae: *[Θε]οί. [Ἐπὶ . . . ο]ν ἄρχοντο[ς. Προξενία καὶ εὐ]εργε[σί]α . . .] Κροσι[ωνιά]των.* Illud prius *Catanensis* annis inter Ol. 100 et 106, hoc *Crotoniatae* circa Olympiadem 112 scriptum esse U. Koehler existimat.

Denique pauca quaedam exempla afferri possunt, quae tam honorificam Atheniensium proxeniam habitam esse ostendant, ut etiam reges et principes exterarum gentium sibi delatam haud inviti acciperent. Ac primum Alexander Philhellen, *Macedonum* rex, nominandus est, de quo apud Herodotum 8, 136 haec narratur: *Μαρθόνιος δὲ — ἐπεμψε ἄγγελον ἐς Ἀθήνας Ἀλέξανδρον τὸν Ἀμύντιω, ἄνδρα Μακεδόνα, ἅμα μὲν οὐ οἱ προσκηδέες οἱ Πέρσαι ἔσαν — ἅμα δὲ ὁ Μαρθόνιος πυθόμενος οὐ προξενός τε εἶη καὶ εὐεργέτης ὁ Ἀλέξανδρος ἐπεμπε.* Athenienses vero, cum Alexandro ut cum Mardonio foedus icerent suadenti verbis praeclaris se nunquam libertatem prodituros esse respondissent, addiderunt (8, 143): *σύ τε τοῦ λοιποῦ λόγους ἔχων τοιούσδε μὴ ἐπιφαίνεο Ἀθηναίοισι — οὐ γὰρ σε βουλόμεθα οὐδὲν ἄχαρι*

πρὸς Ἀθηναίων παθεῖν ἔόντα προξενὸν τε καὶ φίλον. Postea cum Persae apud Plataeas victi fuga effusa per Macedoniam Hellespontum peterent, stragem eorum perfecisse et ob eam rem civitate ab Atheniensibus donatus esse dicitur a Demosthene 23 §. 200, qui pro Alexandro per errorem Perdiccam nominavit: cf. de his rebus O. Abel Maced. ante Philippum regem p. 149 sqq. Alexandro regi addendi sunt Alcimachus et Antipater Macedones, de quibus Hyperides in oratione contra Demadem dixerat, Harpocracione teste: ἕτερος δὲ ἔστιν Ἀλκίμαχος Μακεδῶν, οὗ μνημονεύει Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου οὕτως· „Ἀλκίμαχον καὶ Ἀντίπατρον Ἀθηναίους καὶ προξένους ἐποίησάμεθα.“ (cf. Fragm. orat. graec. turic. p. 288, 81. Hyperid. ed. Blass p. 80). Verba Hyperidis haud certa sunt, nam cum in codd. AM sit Ἀθηναῖοι, in BCFH Ἀθηναῖς, deinde καὶ BCH omittant, facile coniectas legendum esse Ἀλκίμαχον καὶ Ἀντίπατρον, ὡς Ἀθηναῖοι, προξένους ἐποίησάμεθα. Apparet enim verba Ἀθηναίους καὶ προξένους sic coniungi ab oratore attico non potuisse, nam ordine inverso uti debebat, si eos antea proxenos, deinde cives factos esse dicere vellet. Videtur vero uterque missus a Philippo legatus Athenas venisse, quod de Antipatro Demosthenes testatur 19 §. 69, Alcimachum quoque legatum fuisse eo probatur, quod Anaximenes apud Harpocracionem tradidit Demosthenem aliquando contra eum dixisse. Si verba Hyperidis sana sunt, ita tantum explicari possunt, ut alterum civitate, alterum proxenia donatum esse dicamus. — Denique etiam is, qui C. I. Att. 2, 124 a. 337/6 Demadis rogatu proxenus factus est, quia Atheniensibus et singulis et cunctis apud Philippum quantum posset prodesse studuisset, videtur Macedo fuisse. — Alter rex est Straton, qui Sidoniis imperabat medio fere seculo quarto a. Chr. n., homo luxu affluentissimus et quam maxime voluptarius, aemulus in eis rebus Nicoclis, regis cyprii, quem ex Isocratis orationibus novimus. Multa de eius vita delicata Theopompus in l. 15 Historiarum philippicarum narraverat, quae Athenaeus 13 p. 531. E sqq. servavit (Theopomp. frg. 126 in C. Mülleri Fragm. hist. Gr. vol. I). Hunc Stratonem ab Atheniensibus proxenum factum esse ostendit populiscitum C. I. Gr. 87 = C. I. Att. 2, 86. — Etiam Apollonidem Demetrii F. Sidonium, quia mercatores et navicularios Athenienses, qui Sidonem venissent, omni modo adiuvisset, ab Atheniensibus proxenum factum esse e psephismate discimus, cuius pars maxima in C. I. Att. 2, 171 est. Et hoc psephisma et alterum, de quo nunc ipsum dicturus sum, Ol. fere 111 (336—332) facta esse videri recte U. Koehler statuit. Nam etiam Tyrios duo Apsen . . . ronis F. et . . . ronem, Apsis F. eodem honore dignos Athenienses habuerunt, quod et frumenti magnam vim Athenas attulissent et se allaturos tempore futuro promisissent (C. I. Att. 2, 170). — Denique Artas sive Artos, Messapiorum rex, commemorandus est, qui Demosthenem et Eurymedontem, Atheniensium duces, cum in Siciliam novam classem deducerent, benignissime excepit: Thucyd. 7, 33. Eum Atheniensium proxenum fuisse Polemon, qui commentarium de eo scripserat, testatur apud Suidam s. v. Ἄρτος· — — ἔστι δὲ καὶ ὄνομα τυράννου Μεσσηπίων, ὃν καὶ προξένον Ἀθηναίους ποιήσασθαι φησὶ Πολέμων. cf. L. Preller, Polemonis Periagetae fragm. p. 144 sq. — Agmen vero claudat L. Hortensius Romanus, quem praetorem

eum fuisse U. Koehler coniicit, qui a. 170 Livio teste 43, 4—8 classi romanae in litore Graeciae praefuit. Is sane qui tantis laudibus humanitatis atque benignitatis efferretur, quantae populiscito C. I. Att. 2, 423 continentur, ex eis, quae Livius narrat, non dignus fuit et in litore Thraciae tantum videtur versatus esse, sed alius, qui aptior sit, inveniri vix poterit.

Videor mihi omnes collegisse, de quorum patria constat. Nam hoc nunc maxime spectabam, ut quam late haec institutio patuisset intelligeretur. Sed et in volumine primo et in secundo inscriptionum atticarum multo plurium exstant fragmenta populiscitorum, in quibus aut, cum nomina proxenorum ipsa exstent, non exstet urbis, in qua fuerint, aut quanquam causarum, quae si cui proxenia datur afferri solent, commemoratio servata est, hoc ipsum tamen, proxeniam datam esse, intercidit. Quibus, si unum vel alterum exceperis, non usus sum, quia eadem fere causae praemitti solent, si quem vel laudandum vel coronandum vel inter eos, qui Atheniensibus bene fecerunt, referendum esse decernunt. Quam vero exiguam partem haec omnia, quantumcunque ex singulis invidiam temporum effugit, tu putas eorum fuisse, quae Athenienses in temporum decursu decreverunt?

Ser. Gottingae d. XII. m. Iulii a. MDCCCLXXVII.
